

PRAEFATIO

tenendum est, μία χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ. Multae enim lectiones quae non nisi ex recentioribus codicibus notae erant nunc papyrorum vetustissimarum testimonio confirmatae sunt; familiae autem quas nunc habemus nondum erant constitutae.

In Philippicis codicem primarium (*V*) iterum excussi, non nullos etiam ex altera familia (*D*) contuli. Ut ab his incipiam, in bibliotheca Vaticana asservantur duo codices, quibus usus est Ferrarius (A. D. 1544). Hi sunt

3327, saec. xii, litteris Beneventanis scriptus, quem Langobardicum Ferrarius nominat.

3328, saec. x, codex Scalae, ut ait Ferrarius.

Nescio quo casu factum est ut E. Freiburg, qui codicis 3327 lectiones in Philippica quarta decima exscripsit in usum Halmii, cod. 3328, qui antiquior est, praeteriret. Inveni inter hunc codicem (*s*) et Regium 15 A, xiv (*l*), quo in priore editione usus sum, necessitatem summam intercedere, neque deesse indicia quae *l* ex *s* fluxisse demonstrant. Velut x. 14 pro *Italia* codicis *s* scriba dedit *fatalia*, correctio est *sup. vers.* 'puto, *Italia*', *l* habet in contextu *puto Italia* : ita xiii. 8 in margine codicis *s* exstat annotatio *Bonitas M. Lepidi*, quam in contextum (post *plurima*) recepit Regius. Itaque cod. *l* nunc reiecto, in locum eius succedit Vat. 3328. Contuli etiam Vat. 3327 (*v*) sed varietatem perpetuam in notulis non exscripsi nisi in extremis Philippicis, ubi novissimis auxiliis opus est. In his pauca exscripsi ex Parcensi (*π*), incertae fidei libro, de quo egi ad Plancianam. Alios quos inspexi vel contuli codices praeter eo. Expectationem aliquam mihi moverat Coloniensis 198, saeculo xi scriptus, qui in Basilica asservatur, sed codici *g* quo usus est Halmius simillimum esse cognovi.